

quod magnus dominus mitebat unum magnum exercitum cum magna gente causa capiendi ipsum. dixit quod admodo mora posset sibi esse dampnosa. statim ergo cum apparuit aurora cum suis gentibus se armauit & ascenderunt equos. & arripuerunt iter causa in eorum patriam remeandi et cum filius magni dominij & nepos presbiteri Johannis uidissent quod rex caydu cum suis gentibus discedebant. non fuerunt ipsos persecuti. set ipsos dimiserunt absolute discedere. quoniam nimis erant fatigati & fessi. Et rex caydu cum suis gentibus equitauerunt tantum per eorum dietas quod peruenerunt in regnum eorum uidelicet in turchyam ad sarmacan. ibi per [a]liquod tempus permansit quod gueram alicui non comouit :/

^{IIII^o} **M**agnus quidem dominus ultra modum turbatus erat contra regem caydu qui continuo dampnificabat eius gentes & terras & dixit quod nisi nepos suus existeret non posset euadere quin ipsum tradi faceret male morti. set caro nimis sibi condolebat & propterea ipsum neque suam terram destruebat. per hunc uero modum rex caydu euasit de manibus magni dominij Nunc de hac materia dimitemus & dicemus quoddam mirandum de filia regis caydu quemadmodum poteritis audire. / De filia regis caydu qualiter est fortis & ualens/

Rex quidem Caydu habebat quamdam filiam nomine Ayaruc. in lingua *isti sunt tartari* tartarorum quod est dicere luna lucens. Jsta domicella tam fortis erat quod in toto regno non erat aliquis domicelus qui ipsam deuincere posset. *hic narat de fortitudine cuiusdam domicelle* set ipsa deuincebat omnes Et pater suus uolebat tradere ei uirum. set ipsa renuebat. dicebat enim quod nunquam uirum acciperet/ donec uirum aliquem nobilem inueniret qui ipsam de omnibus uiribus deuincat Rex quidem caydu ei priuilegia fecerat quod ad suum libitum uirum acciperet. Set presciendum est/ quod talis mos apud tartaros obseruatur uidelicet/ quod si quis rex. princeps. uel alius Nobilis quicumque uelit uxorem accipere non quidem ad nobilem mulierem respicit uel sibi equalem. set dummodo sit pulcra & formosa quamquam non sit nobilis ipsam accipit in uxorem. dicunt enim quod aliqua stirps siue progenies a muliere sibi ^{IIII^o} nomen [non] assumit/ set a uiro solum ut dicatur [non] filius fuit berte uel marie. set filius petri uel martini. & hec est causa quare in assumptione uxoribus ad nobilitatem mulierum non spectant. set ad delicationem solum & pulcritudinem earum. cum uero filia regis a suo patre licentiam habuisset magnum gaudium habuit fecit ergo notificari per plures prouincias quod si aliquis nobilis domicellus uellet uenire expertum se secum. si ipsam posset uiribus obtinere/ ipsum in uirum acciperet. Et cum hoc scitum fuisset per multas terras & regna. multi uiri nobiles illuc accesserunt & experti fuerunt cum ipsa. & experiebantur quemadmodum uobis dicemus. Quoniam rex cum multis gentibus tam masculis quam feminis erant in campanea cum tentorijs suis. Nam tartari semper in campaneis comora[n]tur.